


... Franc.
Ueltzowicz Math. Pauli Obeliscus solido virtutum et sapientiae fundamento innixus.



OBELISCUS
SOLIDO VIRTUTUM
& SAPIENTIÆ FUNDAMENTO
INNIXUS,
Meritorum excellentiæ,
Perillustris, & Admodùm Reverendi Domini,
D. SIMONIS FRANCISCI
PLUCIENSKI,
Ecclesiarum, Conięcpoliensis PRÆPOSITI, Chrzastoviensis CURATI, &c.
ASSURGENS:
Inter Festa Natalium Solennia, Recurrente annuo TUTELARIS Sui Die,
S. SIMONIS APOSTOLI,
A
M. MATHIA PAULO CELEIOWICZ,
In Alma Universitate Cracoviensi, Philosophiæ Doctore & Professore,
Debitæ gratulationis ergò, Applaudente Pöëmate,



ADORNATUS.
Anno Salutis 1699, Die 28. Octobris.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

VEræ laudes in ijs consistunt, quæ in nobis ipsis sunt posita; atq; illis debentur præmia, quæ ex nostra proficiscuntur voluntate. Genus atq; nobilitas, tum ab ipso parta, tum à Majoribus suscepta, Parentumq; gloria ac ortus, & educatio, & ætatis incrementum & corporis forma, & conditiones & artes; & vituperationes sunt falsæ, & laudes ineptæ.

D. Greg: Nyssenus.

POssem bona fide adijcere majora; sed tuæ aures licèt fratrum laudibus gaudeant, communionem tamen gloriosi testimonij per verecundiam non ferunt.

ex Symachi lib. 4. Epist. 58.



OBELISCUS
Solido Virtutum & Sapientiæ fundamento
INNIXUS.



Pyramidum Phario nutantia pondera ſaxo,
Magnifico ſumptu ferientia culmina cœlos,
Marmoreas moles, Regalis munera gazæ
Deſinat, & vanas pompas Babylonia Memphis!
Vrbs Thebana ſuis centum circumſita portis,
Prodigium mundi, patuli conclaveq; campi,
Obruta ruderibus jaceat; nec fabula muros
Iliacos celebret; Neptuno Patre Tarentum
Lyſippi celebrem non jactet jamq; Coloſſum:
Et rerum mundi celſum caput, inclyta bellis
Roma, trophæorum genitrix, non amphitheatra
Pompeiî decoret ſcelerati Principis auro
Ad luxum Armeniæ monſtranda, domoſq; ſuperbas.
Laudibus immenſis teretem vulgata per orbem
Ter centum gentes Epheſinæ fana Dianæ
Extollant minimè. Velox his & breve tempus
Corripuit Regale decus totumq; nitorem;
Auri luxuriem puri, flammaſq; pyropi
Extinxit, ſtravitq; ſuo cum culmine Troiam;
Ogygios muros cernenteſq; aſtra coloſſos
Vaſtavit, ſaxis avellens ſaxa ligata.
Nam, quæ multa dies, quæ faſtus parturit ingens,
Punctô prætereunt; ævum fert vnica virtus;
Illa manet longè ſeſe volventibus annis,
Illa petens cœlos ſola eſt ſtatione ſecura,
Oraq; mendacis populi damnando, triumphat
Secula, magnificis cum laudibus atq; perennat,
Vt Phœbi radios fulgentes quilibet haurit

Circumfusus ager, virtus sic vndiq; fulgens
Lumina diffundit, terras & nomine complens
Est cunctis facilis visu semperq; celebris.
Hanc in Te SIMON gratam splendentibus vsq;
Luminibus, fama innumeris præconia linguis
Effundens, niveô tetulit per inane lacertô,
Ipsa caput rutilans, Phæbô fulgentior almô,
Præcipitansq; vias, referens & lilia plenis
Dextris, & lauros sudatæ præmia frontis
Et nitidam speciem quâ Te natura colorat:
Hæsit en vnde Iovis Magni sua fulmina terris
Mittuntur, (medium est inter terramve fretumve,
Stellantisq; plagas cœli, confinia mundi)
Inde quod est vastis fusum regionibus inflat,
Et velut ære sonans flexo fremit, & sua demum
Ora suavè replet; nec sistunt murmura vocis,
Bellerophontei montis juga celsa colentes
Donec Pegasides Phæbo cum Præside multùm
Vocibus excitæ lætis, modulamina passim
Linquentes, varijs plenas sermonibus aures
Indulgent meritis, rumorum millia magna
Fortè trahunt, pignusq; suum celebrare volentes,
Authores magnæ cupiendo laudis adesse,
Certatim fundunt grato de pectore carmen;
Quod mea prima canens Clio sic incipit ore!
Egerat influxu vario Phæbus super axe
Quadrigas, millena suis & lustra recurrens
Cursibus implêrat, magnæ vestigia mentis
Lustrando vivam doctæ quæ Pallados ipsiûs
Effigiem monstrare queat; nec comperit vsquam,
SIMON quam solus PLVCIENSKI prospero in orbem
Omine traxisti nascens, Almamq; tulisti
Ad Regum Sobolem, Cracijs quæ composita vlnis
Gemmiferum Solium studijs decoratve colitve:
Hanc apud ingentes animi cumulando decores

Altera

Altera facundæ facies tunc Palladis, Ipſe
Pallas eras felix, Muſarum gloria celſa.
Herculeos angues, generoſæ prælia dextræ
In cunis; frondeſq; novas in littore Vatis
Infantis, non ſic certò delira vetuſtas
Præſenſit circùm Phæbeam tempora laurum;
Vt de Te ſummæ virtutis ſigna legebat
Quiſq; Virûm, augurij falſus nec cenſitus author.
Namq; graves ſectata dies ſeniumq; Catonis
Pubeſcens ætas, Te magnis vſibus aptum
Eſt teſtata, diu nec diſtulit omina tanta;
Pieridum ſertis & majeſtate decora
Sed longas memoris cudit ſibi temporis horas
Arte nova, eloquio Cineas æquando diſertos,
Et turbam vatum, queîs lymphis pocula plena
Caſtalijs Phæbus citharædus dulcè miniſtrat,
Atq; Sophûm, qui naturæ ſecreta requirunt.
Hac ætate Tibi poterant jam ſtare coloſſi
In queîs non titulos celebres, nec nomina famæ
Quæ ſapiens animus virtus generoſaq; poſcit
Sculpebas, humilem ſed ſenſum, ſecula vincens
Ore verecundo: Cato conformare juventam
Moribus egregijs malens, & Doctor adeſſe,
Quam titulô tantô cenſeri, celſior vllus
Quô non eſt; laurus victricis præmia frontis,
Palmæq; inſignes, duri preſſura laboris
Cuî creſcunt: niſu felici floribus altum
Sterniens ad celſas iter ædes, tunc HYACINTHI
ŁOPACKI pignus pretioſum, molleq; Germen
Præſtantem geniô Natum, ſenijq; coronam,
Dignum, Qui tanto natus Genitore celebrem
Accipiens famam, ſervaret jure Paternam,
Dulcibus inſtillans lymphis, ad maxima quæq;
Duxiſti, monſtrando viam, quâ in culmina Pindi
Progrediens juſtò Podalirius extitit almus.

Sed Te

Sed Te tam magnus splendor, summiq; nitores
Non tenuere virum, qui pura veste refulgens
Thura adolere Sabæa volens, altaria Divûm
Complexus, justus, puroq; salutifer ore,
Ausa nefanda mali, & fœdæ contagia labis
Aspidibus pejora docens, Tibi credita plebis
Pectora complebas fructu virtutis honestæ,
Et SIMON verè populi de dogmate, voto
Cunctorum dictus, magno stipatus honore;
Præsuleas curas SILNICCII fortè levando,
Tripolis & Vilnæ sacratas Ipse Tiaras
Dum moderaretur, felix moderamen & Vrbis
Et populi prudens magna virtute tenebas:
Nec ROSA sanguineos Illius blandiùs vnquam
Sparsit fulgores, quàm dum sudoribus à Te
Est suffusa pijs, magnoq; adjuta labore
Fragrantes animis justorum fudit odores.
Tantis Te meritis illustrem, Sarmatiarum
Sidus inextinctum, quô non spectantius vllum
Palmarem hanc terram lustrat, Lithavoq; trione
Resplendet, magnumq; decus, custodia Regni,
Auxiliumq; vetus SOLEÆ Te Nobile Stemma,
Quô numerare queas fulgentes STANESILAOS,
Sub Cruce gemmifera clavaq; potente Ducali,
Assyrio portu, Scythicoq; à littore monstra
Marte procelloso sternentes, Te magè ferrô
Strinxit, nobilibus, sacris rebusq; probatum.
Quàm magna virtute fores! Prosapia Magna
Est testis; Trabeæ, candens ebur atq; Curulis,
Cûi cessas pompas festosq; dedere triumphos:
Hac super exuviæ grandes belliq; trophæa
Resplendent, atq; hâc Magnos ex ordine multo
Percensere vales, proprio qui milite Turcam
Frangere felices nôrunt, mediôq; locare

Illustrissima Illustrissimorum Coniecpolsciorum Domus, Perillus: & A. R. D. fauores exhibens.

Barba-

Barbaricæ gentis vexilla, per aſpera belli.
Ille Palatinus Bełzenſis, Gloria ſummis
Aſſurgens meritis, (Haſtarum ternio pulcher
Cûi ceſſit decori, Proles ZAMOYSCIA dulcis)
Ingenij dotes excelſas, atq; Tuarum
Virtutum ſpecies miratus, pectore toto
Te complexus eô fuerat candore perenni
Qui magnos juſtoſq; decet, quô pectora tantùm
Candida nectuntur. Te gratior extitit Illi
Nemo ſolicitis languoribus dulcè miniſtrans
Antidotum, quàm ſacra Tuis currentia labris
Sermonum. Patriæ ſed Gratia magna IOANNES,
Sanguineum metuendæ Bellonæq; flagellum;
Quô quatit immenſam rabiem creſcentis echidnæ
Saltibus in denſis Byzantij, quô quatit atras

Illuſtriſſimus D. Ioan: Koniecpolſki, Stabuli Regni Præfectus, cum Illuſtriſſima ſua Conſorte Rzevuſcia.

Et ſpecus ad Pontum, vaſta in confinia terras
Vrgendo Lechicas, nunc CONIECPOLSCIVS hôcce
Sanguine deſcendens, Stabuli Præfectus, in amplo
Sarmatiæ Regno Martis genuina propago,
Immiſit ſemper flammas Qui Iſtrumq; Getaſq;,
Roxiadum repetendo ſolum Proavis Ataviſq;
Poſſeſſum; Quem terribili flagrante Vienna
Marte, per adverſas virtus ducendo catervas
Victorem, Magno Domitori fortè IOANNI
Dilectum, SOLEæ coniunxit fauſtiùs Illi,
Hoſtiles cuneos & ſtrata cadavera tabo
Quæ turpi dilapſa terens, ſic luce coruſcat,
Vt clarum ſidus, taciturnæ Cynthia noctis,
Hac fulgente ſuum cupiat componere cornu;
In Regno Magnis ſplendor fuit Illa RZEVVSCIIS.
Noverat, vnde ſuum conquireret Ille Theſauri
Præfectus decus, & Natæ connubia ſacra:
En geminum ſidus SOLEæ felix, geniali
Fœdere conjunxit, Solis jubar atq; coruſcum
Suſpendit Lechiâ, quô non fulgentius aſtrum

Vſq; nitet. Tantum circùm Te fudit abundè
Splendorem ecce ſuum Par Nobile; ſanctiùs inde
Vt ſuperis puro virtutum Sole niteres,
Præpoſitum fauſtum poſcens, & principe cura
Sic foveas animas, voto meliore cupivit.
Vt Phæbus celſo ſuper æthere lumina ſpargit
Tunc meliùs, vultum niveum cùm celſiùs effert:
Sic probitas, cultuſq; DEI fulgentiùs in Te
Exarſit merita magni ſplendoris in auge;
Ad quam Te ſoliô virtus provexit eburno,
Doctrinâ rutilam manibus geſtante coronam;
Et Charites placido carmen de corde ferentes,
Et cœtus plebis voces ſuper æthera ſpargens.
Tantô cùm plauſu es ſacras ingreſſus in ædes,
Tecta Deûm, en Paſtore novo, nituere recenti
Tegmine, & accedens templi pia machina cœlo
Ivit in immenſam lucem, ſumptuq; ſuperbo
Nunc etiam ſuperare cupit delubra Dianæ;
Cûi nimiùm tenues impendis in omnia cenſus
Ornamenta Tuos, veterum memor atq; Patronus
Templorum. Nec ſacra tamen Tua dogmata ceſſant,
Quêis ſummis cathedris populos nutrire, pijſq;
Artibus implere eſt animus, certæq; ſalutis
Commonſtrare vias, & devia quæq; docere.
O probitatis opus celebrandum mille Camœnis!
O ardens virtutis amor! flagrando recuſans
Extingui largis ſudoris ſanguine miſti
Imbribus, ad medios Soles denſaſq; tenebras
Fronte Tua fuſis: vt gratiùs ipſa recurrat
Concio ſacra, vigil tacitæ per tempora noctis
Pallade Tu pingui perfundis lampada ſemper.
Mella apibus non ſic decedunt Attico Hymetto
Dulcia, ſeu Hyblâ Siculâ; ſeû nectaris hauſtus
Gratus; vt ore Tuo promanans ſermo tonante.
Hoc monumenta Tui demonſtrant ipſa laboris

Quæ

Quæ penna implevit. Nam magna volumina restant;
Quæ tamen in tacito condis, nec luce reponis;
Hac virtute placens Superis, non laudibus astris
Inferri cupiens, nec præstans ire per orbem.
Ipse Tibi PAVLVS germano sanguine Frater,
Alter Præpositus, quòd Numina sacra colendo
Exemplô populos, sacris monitisq; tenere
Occallet, tribuit. Magnis nam sumptibus atq;
Aris doctrinâ sacris admotus, & Almo
Te Genitore velut, summo est sub vertice fixus.
Ille rosas molles gratissima pignora mentis
Substratæ, manibus sacratis VIRGINIS Almæ
Porrigit, & NATO nectit fulgentia serta
(Quæ palmis teneris capiens ad fæderis Arcam
Deponit Matris pectus, geminatq; decorem;)
Reginæ Cœli dum sacra Rosaria psallens
Exemplum populis monstrat, cœlosq; fatigat.
Musa sed ô niveum tenui cur pollice plectrum
Percutis audacter! resonantes murmure nervos
Et tendis! mussare pio Mystæ satis vnquam,
Nec concessa Tibi sacro ex Helicone potestas!
Magnificis his esse potes nec laudibus æqua!
Talia virtutum Thymbræus lauriger Augur
Purpureo valet ore loqui, qui temperat arcum
Fatidicis nervis, Tenedos cùi regia servit!
Musarum toto hic ivit super æthera clamor
Agmine; quo Clio percussa manum tenet, atq;
Vocales citharæ nervos non pectine eburno
Iam pulsans, tacito sermonem pectore miscet.
Ergo diserta cohors, præsentia Numina vatum,
Et Phæbo comites nostro, virtutibus altum
Consecrent animum tantis! sua barbita blanda
Circumdent! mihi, quæ meriti sum conscia magni
Sit satis, eximias virtutes dignaq; cedro

Facta, meô coluisse modò quôcunq; cothurnô:
Ille tamen virtute sua quem struxit in alto
Sarmatiæ memoris cœlo, longævus, & vltra
Nestoreos annos, Pylij quoq; secula terna,
SIMON FRANCISCVS cernat felix OBELISCVM.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.



1000
500
200
3.
1703

1730
1703
27

